

**1999-03-16 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Yendensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***YENDENSIS\****

**NOVA DIOECESIS CONDITUR IN GANA, YENDENSIS APPELLANDA**

Sollertem sane curam atque alacrem diligentiam continenter adhibemus ut Domini salutares nuntii ipsiusque praecepta omnia loca contingent et quam efficacissime per orbem terrarum populos. Idcirco Nos cuncta disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audita quorum interest sententia, novam dioecesim condimus *Yendensem* appellandam, quae territorium districtuum civilium *Yendi*, *Gushiegu-Karaga*, *Bimballa*, *Saboba-Chereponi*, *Zabzugu-Tatale*, ab orientali parte distractorum archidioecesis Tamalensis, complectetur. Novam dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Tamalensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Cathedram episcopalem in templo Beatae Mariae Virginis de Lourdes, in urbe sito quod *Yendi* vocant, locamus. Cetera vero secundum leges canonicas agantur et temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Andream Dupuy, Archiepiscopum titulo Saelesiensem et in Gana Apostolicum Nuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri vicesimo primo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

JOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*  
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. XCI (1999), n. 7, p. 598